

**Regiae Academiae Kiloniensis Prorektor Cancellarius Et Senatus Civibus Svis :
[P. P. Kiliae, sub sigillo Academiae d. XVII. Aprilis MDCCLXXXVIII.]**

[Kiel], [MDCCLXXXVIII.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727411234>

Druck Freier  Zugang



Kiel

1701.

D. II. 2.

1550.



Df II 2
9550



REGIAE
ACADEMIAE KILONIENSIS
PRORECTOR
CANCELLARIUS ET SENATUS
CIVIBUS SVIS.

Anus fere exit ex quo iussu Augustissimi Regis omnes,
e vestro, Ciues, ordine, qui iurisprudentiae ope-
ram nauant, de optimarum artium & litterarum studiis
& Professorum Ordinis Philosophici praelectionibus haud
temere negligendis, publice monuimus, in hunc fere
modum:

“Quam anno c16cclxxxv. d. I. Octobris iussu Re-
“gio publicauimus imo typis exscriptam vobiscum
“communicauimus admonitio, de praelectionibus a
“Professoribus Ordinis Philosophici haberi solitis iu-
“risprudentiae studiosis nequaquam negligendis, sed
“potius sedulo audiendis, tantam abest vt omnes e
“vestro, Ciues, ordine, qui iurisprudentiae ope-
“ram

21
27
ram nauant', ad excolenda praestantissimarum ar-
tium & litterarum studia incitare potuerit, vt po-
tius eadem in hunc vsque diem a plurimis nimium
quantum neglecta esse, pro explorato habeamus.
Neque hoc nobis solum, verum ipsi etiam Augu-
stissimo Regi nostro innotuit. Is autem Patriae Pa-
ter clementissimus, posteaquam illi de noxia hac rei
publicae negligentia renunciatum est, statim nos
deuuo, omnes vestrum, quorum interest monere
iussit, vt qui, decurso vitae Academicae spatio mu-
neris publici eiusdemque ciuilis participes fieri cu-
piunt, praeter omne illud, quod ad Iurispruden-
tiam proprius spectat, doctrinarum genus, etiam
perdiscendis omnibus illis, quarum in publica,
quam modo nominauimus, typis etiam exscripta
admonitione, mentio facta est, doctrinis operam
atque industriam tribuant indefessam, eo quidem
consilio, vt quando examinibus iam antea indictis
in profectus illorum inquirere nos iubeat Augustis-
simus Rex, idoneos sese praebeant munerum ciui-
lium candidatos, neque clementia Regia, quae illis
bene cupit, semetipsos indignos reddant. Illi prae-
sertim, qui vel summorum dicasteriorum aut tri-
bunalium Regionum, vel grauioribus quibuscunque
in ciuitate muneribus admoueri volunt, non idem
solum, quod omnibus commendamus, obseruent,
verum etiam ipsorum respectu, quoad rectum stu-
diorum

“diorum ordinem aut iustam litteris operam nauandi
“methodum, omnemque, quae illos quidem decet,
“qui olim vel procerum, vel alio quouis loco emi-
“nente atque conspicuo constitui exoptant, notitiam,
“summam in explorandis progressibus feueritatem,
“rigorem summum expectent.

Haec nostra siue paterna monita, siue iussa, pro Magi-
stratus officio publice proposita ad illud, quod exoptauimus,
efficiendum in hunc vsque diem parum valuisse, eo
praesertim tempore intelleximus, quo, exeunte praeterito
semestri, testimonia publica rogantes de studiorum per
integrum vel biennium, vel triennium ratione certiores
nos reddiderunt. Namque his ipsis eorum precibus &
doctrinarum quibus operam dederant, enumeratione,
plurimos haudquaquam iusto ordine & modo studiorum
cursum instituisse, compertum est. Quum autem ciues
litterarum studiosos, de perdiscendis illis, quae ad obeun-
da munera ciuilia omnino necessariae sunt, doctrinis pa-
rum sollicitos, & iussis Augustissimi Regis male morige-
ros egregiis encomiis exornare nefas esse videatur, in im-
pertendis diligentiae morumque characteribus hanc nobis
regulam statuimus, neminem, quem, quae ad Ordinem
Philosophorum referuntur, doctrinas insuper habuisse ani-
maduertimus, tertio, multo minus primo aut secundo
charactere, quali testimoniorum publicorum causa uti-
mur, condecorare. Quamobrem ne quis obtentu igno-
rantiae excusationem habeat, hoc publice iam significa-
mus

mus, simulque Theologiae studiosos hortamur, vt quic-
quid eorum causa lege cautum esse aut norunt, aut sal-
tem nosse possunt, animo perpendant, doctrinasque a Pro-
fessoribus Ordinis Philosophici tradi solitas haudquaquam
negligant. Honorificentiora enim Senatus Academici te-
stimonia illos tantum manent, qui, officii memores, non
vilis & abiecti quaestus, sed publici commodi causa
student. Decretum, in Consistorio academico pleno d. I.
Martii c10cclxxxviii.

P. P. Kiliae, sub sigillo Academiae d. XVII. Aprilis
c10cclxxxviii.

(L. S.)
A.


Broekel

h. t. Prorektor.

M. G. Trede.

A. Bode
Buchbinderei
Schwerin i. M.





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727411234/phys_0008

DFG

ris studiosi ius publicum familiarissimum sibi red-
dant non particulare solum verum etiam vniuersale
aeque ac ius gentium & quicquid doctrinarum cu-
iusuis muneris publici in dicasteriis & collegiis pro-
vinciarum Regia auctoritate constitutis subeundi
caussa vel omnino necessarium vel apprime vtile
est, quorsum spectant Historia iuris, ars interpre-
tandi leges, quam Hermeneuticam iuris vocant, ius
feudale, Processus imperii romano germanici, Phy-
sica etiam & Historia naturalis, cet. Etenim ne-
mo, nisi superato hoc examine academico, ad exa-
mina supremi dicasterii vel Slesuicensis vel Glück-
stadiensis admittendus est. Quemadmodum Plato
scholae, quam in Academia habuit, philosophicae
inscripsit: nemo Geometriae ignarus accedat, ita
Rex noster Augustissimus nemini sacra Themidis
adeunda esse existimat, nisi omnibus illis doctrinis
erudito, sine quibus iuris studium, vulgaris opificii
instar, scientiae nomen tueri non potest.

His instructi praesidiis quum habeant non so-
lum quo vitam commode sustentare valent, verum
etiam quo viam sibi pandunt ad honores amplissi-
mos, & quod longe maius & praestantius est, Su-
premi

